

Michael Alberti

**Piam Ac Religiosam Natalis Domini Celebrationem Fridericianae Prorector D.
Michael Alberti ... Una Cum Cancellario Ac Reliquo Senatu Academico Indicit
Proposita Brevi Disputatione De Admirando Humilitatis Et Maiestatis
Temperamento In Primordiis Vitae Christi Conspicuo**

Halae: Impensis Orphanotrophei, 1753

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn845109472>

Druck Freier  Zugang



a. B.

48. c. 2.

57

275

Fa - 1092 (57)

19
20
3
35
36
37
4
52
6
7
8
25
19
20
10
27
14
13
28
4
29
30
15
31
16
32
17
33
18
34

1. *Programma de Spiritu S. para
celto*
 2. *Demonstratio aeternae peccatorum damnationis*
 3. *Knapp. de recto et genuino usu
argum. fidem humanam faci-
entium in probanda divina origine*
 4. *Programma de commemoratione
conditum Henrici Guilielmi
Lindolfi circa ecclesiae Orient.
Calicem*
 5. *Programma de Statu temporum
natus Christo et singulari sum
oris nostri signo*
 6. *Programma de Patriarchum
ut in Palæstina sepelirentur
ad eideris.*
 7. *Diffut. de Origine Malorae
pubnotorumq. Vt. Test. ebraeorum.*
 8. *Differt. de articulis fidei chri-
stianae fundam. et non fundam.
tione hum. limitibus in rebus diu-*
 9. *Diff. de Guarantia pauperum
foederumque religionis ergo
percusorum.*
 10. *Pesfeld. Differt. de Ecclasi*
 11. *Untersuchung ob Gotts Elb.
Mosen Regenbogen.*
 12. *Differt. de vera aetate Scripto-
rum, quae super sunt. Q. Septimiu-
Florentis Tertulliani pp. Diff. Ima*
 13. *Nachfett Diff. II da de eadem
Maternia*
 14. *Semler. Differt de imagine
divina in homine & tunc perdita*
 15. *Knapp. Diff. de Discrimine
Crucis et poenit.*
 16. *Michaels Diff. de Progressu
et incremento salutari Doctri-
nae sub Noachio.*
17. *Programma de Nominis Imapu-
tis ecclesiae olim in argumentum
solatu et bonae spes quo proposito*
 18. *Programma de admirando humili-
tatis et maiestatis tempera mehito
in primordiis vitae Christi conspicuo-*
 19. *Liberatio loci epist. ad Philip-
cap. II. n. 1 et 2 a Tautologiac.*
 20. *Baumgarten. Diff. de mysterio
rum christianae fidei vera indole*
 21. *Cusa. Diff. de Tentatione Christi
in Deserto.*
 22. *Knapp. de Dono prophetiae in
Ecclesia N. T. Diff. I. ma*
 23. *Ciusdem Diff. II da*
 24. *Baumgarten de Indole, Auctorita-
tate numeroq. confil. documentorum*
 25. *Meller. Diff. poetas diuinis boni
tati Dei non esse contrarias.*
 26. *Semler. Diff. de Auctoritate
arthaeologis ad exercitationem*
 27. *Baumgarten. de arctis cogni-
tionis hum. limitibus in rebus diu-*
 28. *Zachariae Diff. de perfruitorum
humanae Sapientiae verbis Cor II. 4.*
 29. *Fudacorum Lectio Audi etc.*
 30. *Zachariae de morte Veterum
in locis editis colendi Beaum*
 31. *Baumgarten Diff. de Omnipotentia
Christi in statu exinanitionis*
 32. *Programma de excutienda
Sententia Luc. I.*
 33. *Baumgarten de consecratione
sanctorum apud Pontificos istata
ad anno 1000. cuo Cypri. vct. Roman. efficta*
 34. *de Christo filio per resurrectio-
nem ex mortuis demonstrato*
 35. *Baumgarten de acquis rendis
bonis optimis*
 36. *Programma seculare*
 37. *Programma Schreberi*

PIAM AC RELIGIOSAM
NATALIS DOMINI
CELEBRATIONEM
FRIDERICIANAE
PRORECTOR
D. MICHAEL ALBERTI
SACR. MAEST. BORVSSIAE CONSILIAS. AVLICVS,
CONSISTORII MAGDEBVRG. SENIOR, FACVLT. MEDICAE SEN.
ET H. T. DECANVS, PHILOSOPHIAE NATVRALIS
PROF. PVBL. PRIMAR. CET.
VNA CVM
CANCELLARIO
AC RELIQVO SENATV ACADEMICO
INDICIT
PROPOSITA BREVI DISPVTATIONE
DE
**ADMIRANDO HVMILITATIS ET MA-
IESTATIS TEMPERAMENTO IN PRIMORDIIS
VITAE CHRISTI CONSPICVO.**

HALAE
IMPENSIS ORPHANOTROPHEI MDCCCLIII.

PRIMA AC REPTIGIOSA M
LUX - DOMINI
CELESTIA
FRIEDEMANN
TROGLO
D. MICHAEL ALEXANDER
SAGER MARIAE DORSALIS COPIA IN LIBRIS
CONSTITUTA MAGISTERIALE STUDIORUM ET LIBRARIA
ET HISTORICARUM INSTITUTIONUM
KONTINUO PER 1000 ANNI
LXXVII
CAGIO APOLLONIO
AC FELICIO SURNAMIS CEDIMUS
PROPOSITA EDITIONIS PRAEFATISSIMA
ADMIRANDO HUMILITAS ET AM
IRETATIS FIRMAMENTUM IN REMORIS
ALTER-CHORI CONSIDERANT
HAZAE
IMPENSIS ORTHODOXORUM MEDICIS





Redeunt iam, Ciues carissimi, laetissimi dies, candi-
doque nobis omnibus calculo notandi, quibus ut na-
talis Domini nostri Iesu Christi celebraretur, arque
in ipsius honorem supplications pio solennique ritu
fierent, antiquitus cautum sanctumque est. Et
profecto dies ille, quo filius Dei hominem induit, terrasque nouo mo-
do magnus hospes adiit, is inquam dies non vni fortasse aetati aut po-
pulo, sed gentibus humanis in vniuersum omnibus faustus merito cen-
seri debet ac memorabilis.

Huius ergo lucis tam exoptatae laetitiam, absit ut satietas vni-
quam, vtut illa ex ipsa bonorum gaudendique adsuetudine nascatur
alias, deterat; sed eam aequum est, vt quaelibet aetas hominum ad
minores suos illibatam transmittere studeat, nullaque re praecerptam
praefloratamque. Magnum erat quiddam et honorificum generi no-
stro, quod consecrare origines suas et praecipua quadam ratione ad
Deum auctorem referre poterat, (a) cuius ad perfectissimum exem-
plar ultimus ille parens mortalium effectus formatusque fuerat: sed
tamen maius est, post lamentabilem nativae illius excellentiae iactu-
ram, quum tota iam humana natura pessum ferretur, reparari uni-

A 2

verita-

(a) Act. XVII, 28. 29.

19

35

20

36

21

37

22

38

23

39

24

40

25

41

26

42

27

43

28

29

30

31

32

33

34

veritatem hominum tam illustri modo, et tamquam ab stirpe re-nasci. Iam enim humanum genus in creatoris sui humano ortu vitam sibi reddi videt, quae ob aeternae mortis metum antea quasi minime vitalis fuerat, iam hoc indulgentiae diuinae munere recludi bonorum perennium fontes, quum sine hoc, hominem nasci nihil fuisset aliud quam miserrimum nasci, et nullam in sortem bonorum.

Atque haec tam praeclara munera, quae salutaris illius sideris ortus nobis attulit, cum per omnem vitam hanc (vt nihil iam de altera illa dicamus) pertineant lateque manent; aequum est, vt nulla vitae pars exsors maneat expersque huiusc gaudii, immo vt periisse sibi omne illud aetatis tempus homo existimet, quod sine illius rei meditatione transferit, qua sola effectum est, ne quemquam humanitatis huiusque lucis poenitere oporteat. Caeterum quamquam grata piaque hac cogitatione nullum vitae tempus vacuum ac sterile esse conueniat: praefertim tamen eodem conferre aequissimum est hoc, quod hi dies tribuunt otii, quos laudibus Domini humana natura vestiti sacros illius ciuitas esse voluit, quibusque omnium consentiens et conspirans vox optimi eundem inter mortales status auctorem personat. (b)

Hoc agite ergo, Cities, res sacras quas diximus, quibus vestra nostraque omnium summa salus continetur, contemplamini etiam atque etiam illam vero mentem, quae officii pariter ac bonorum suorum incuriosa est, hoc saltem tempore exuite! Nos quidem, ne vel nostris partibus vel utilitatibus deesse videamur vestris, aptum piumque publici adfatus morem ita etiam nunc usurpabimus, vt viam veluti signemuniamusque vobis ad dignam et frugiferam nativitatis dominicae meditationem.

Quum autem infinita sit rerum copia!, quae ad id argumentum pertineant, atque etiam utiliter vel iam alias disputatae sint vel etiam nunc disputari queant, missis aliis, cum breuitatem tractatio nostra custodiare debeat, adferemus nonnulla de admirando humilitatis et maiestatis temperamento, quod in primordiis vitae Christi obseruare licet.

Ex ecclesiae, quae in terris militat, ratione contemplanda, angelos ipsos, quorum iam olim sapientia propter excellentiam in prouerbium

(b) Excellentiori enim sensu et in consiliorum laborumque suorum amplissima emphasi Christo tribuatur, quod sumum sibi consequetus vidererur, si ita illi, qui sub ipsum tempus, quo Seruator natus est, rebus Romanorum praeerat, diceretur, optimi videlicet status auctor. Quod edicto etiam declaravit. V. SYE-AUGUSTO TANTUM VIVUM EST, VT FRUCTUM. T.O.N. OCTAV. C.XXVIII.

blum abiit, (c) multum proficere ad multifariam Dei sapientiam rectius pleniusque perspiciem scriptura testatur. (d) Quid nos? Quam spem concipere poterimus egregii profectus, ex contemplatione non iam dicimus ecclesiae, sed illius, qui caput est sanctissimi huius corporis? Facile enim est ad fidem, tanto magis in hunc aeternam illam sapientiam opes profudisse suas, quanto est ipse praestans. Itaque vsu illud etiam experientiaque satis comprobatum est, si quis attente et reuerenter, angelorum exemplo, (e) magnum illud mysterium pietatis (f) inspicere studeat, multa se huic vbiuis diuinioris sapientiae vestigia oblicere et velut in oculos ingerere.

Praesertim vero si vitam Domini consideremus, eaque omnia, quae is, dum praefinitum sibi a patre cursum conficeret, et egit et passus est, admiranda sapientissimaque ratione dispensatae rerum vices animaduerti possunt, plurimisque illis actionibus euentisque, quae humilem conditionem praferrent ea interposita, quae obtentam illam quidem humilitatis velo gloriam proderent tamen. Sic nimur ille res suapte natura diuersissimas totoque caelo distantes ita copulauit in se ipso ac miscuit, vt hoc etiam pacto vim eius nominis omenque expluisse videatur, quod inter alia, quibus ipsum adscit priscus Dei interpreps, principem locum obtinet, cum Mirabilis vocatur. (g) Facile esset hoc loco per diuersa vitae Christi momenta euentaque circumferre oculos, et praeeunte historia sacra, vestigia non sane leuiter pressa diuinae sapientiae perseQUI, quae toti illi praesedit optimi seruatoris cursui, eumque tam ad nostram mortalium rem caussamque accommodate, quam gloriae. Numinis conuenienter est moderata. Enimuero quis rem iusti voluminis in paucarum pagellarum angustias referserit? (h) Itaque ex primis tantum initis nonnulla sapientis illius temperamenti, quod diximus, indicia ac momenta colligemus, in quibus ipsis summa rerum vestigia potius sequi satis habebimus, quam ut de singulis vberius exponere ingrediamur.

A 3

Pla-

(c) 2 Sam. XIV, 17. XIX, 27.

(d) Eph. III, 10.

(e) 1 Petr. 1, 12.

(f) 1 Tim. III, 16.

(g) Esai. VIII, 6.

(h) Collegit huius generis aliquam multa B. BENGEVIVS, Harmon. Evangel. §. CLIII obseruarique iubet, semper ac velut e vestigio re quadam Chri-

sto ampla ac gloriosa pensatum esse, ad quemque se humilitatis gradum partemque demiserit. Quam veluti decaram quandam, vt idem auctor alibi loquitur, protestationem, qua gloriae et extimationi Domini cautum est in omni humiliatione, exemplis in tabula e regione positis ex historia sacra comprobatis c. p. 282. quac aliis facile augeri possent.

Placet autem, antequam eo veniamus, in hoc aditu disputationis nostrae generatim nonnulla de consilio diuino attingere, quod primis pariter ac postremis *olim opulas evocatas* partibus extra controuersiam subfuit. Quamuis enim quae in mirabili illa sanctissima renum quasi scena, diuina sapientia proposita habuerit et sequuta sit, haud adsequamur omnia: licebit tamen, nonnulla reuerenter et modeste hactenus indagare, quoad praeeuntem hac in re habemus sacri codicis auctoritatem.

Sumferat nimirum serui formam, (i) quamvis filius esset (k) Servator, et magno quidem atque immortali humani generis bono sumferat. Huius enim culpam, affectatione maioris cuiusdam, quam ius fasque permetteret, dignitatis contractam expiabat, atque hoc modo a nobis triste supplicium sua quidem graui impensa redimebat. Nam nulla durae huius conditionis ac vitae, ad quam se redegerat pars, nullus actus, dedecere eum, si quis rem rite aestimet, vlo modo poterat. Neque enim suam quandam ob noxam sanctissimus omnium eo detrusus nec de hominum illud sententia factum erat, sed vltro ac libenter alienam in se culpam transtulerat, patris summi, ad cuius singularem ipse indulgentiam pertinebat, consilio inferiens, qui cum aeterna mortalium misericordia commotus, ipsum deprecatorem misericordiaeque conciliatorem dedisset, *per perspicacib[us] eundem perficere* statuerat. Quod quemadmodum ipsi, qui haec ita ordinabat, decorem erat, docente ad ebraeos epistola (1): sic non minus illi ad quem dura ista lex spectabat, qui que eidem se liberrime subiecit, quoniam ad aeternam Dei gloriam omnem illam humilitatem suam redundatram nouerat. Visum tamen est Deo, quamvis haec ita se haberent, ut in summa illa et paene incredibili submissione existarent tamen haud obscura neque adeo infrequentia excellentioris cuiusdam, quae in Christo erat, naturae, maiorisque, quam quae extrinsecus apparebat, dignitatis maiestatisque indicia, et tamquam radii eius, quod fulgorem suum plerumque abdedat retrahebatque luminiis. Quae autem hoc temperamento obtineri debebant, duo praesertim fuisse widentur. Nam primo loco, si nullum prorsus tale *de luna exstitisset*, vel in ipso Christo, vel iis in rebus, quae manifesto ad ipsum pertinebant eiusque causa diuinitus procurabantur, excusatus saltem quodammodo, quamvis non omnino culpa vacassent, peccasse viderentur, qui in eo offenderunt atque eum despiciunt habuerunt. Quod nunc longe se habet aliter. Poterant enim hi, debebantque omnino ea,

quae

(i) Phil. II, 7.

(k) Ebr. V, 7.

(1) Ebr. II, 10.

19
35
20
36
21
37
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34

quae vel oculis usurabant vel fando audiuerant, persequi, iisque non sane vulgaribus rebus, sed eximiis et partim inauditis adduci, ut reliqua, quae propter diuini consilii ignorationem non satis capere poterant, ex Christi doctrina, immo praegressis etiam aetatem illius vaticiniis confidcerent. Deinde etiam alterius hominum generis in eō rationem procul dubio Deus habuit, eorum, qui Christum magni faciebant, fideque eum et amore haud fucato complectebantur, erant tamen valde adhuc debiles atque infirmi; quibus hoc modo egregie consultum est. Hi enim si forte propter humilitatem et in ortu Christi, et in actione vitae cultaque omni, et in extremis perpessionebus conspicuam, fluctuare incipiebant et ancipi cogitatione distrahi, non parum sine dubio confirmati sunt, cum ea, quae non minus patebant maiestatis diuinæ specimina, illis humilitatis partibus apud animum suum opponere, atque aduersus pericula offensionis hac illum ratione praemunire possent. Namque apparebat facile, eadem, quam interdum emicare et resurgere patiebatur Dominus magnificentia, semper et ubique ut eum potuisse, si potius, quid inter homines fibi amplum et honorificum esset, reputare et facere voluisset, quam quid officiis partes, diuinumque adeo consilium postularet, sequi.

Iam ut haec, quae vniuerse hactenus disputauimus, propius ad id, quod propositum fuerat, transferamus, mirari licet, quemadmodum ea, quae in ipso limine vitae Domini acciderunt, (videlicet ut reliqua ipsius aetati in terris agendae prima illa aetatula quasi praeluderet,) tam sapienter fuerint splendore et humilitate temperata, ut ea res non possit non iucundissimo spectaculo animum nostrum tenere ac percere, si modo diuina nobis cordi sunt, nec amore Christi vacua peccata gestamus.

Ac primo quidem, ut sigillatim nonnulla adferamus, illud diligenter et grato animo reputandum est, quod cum decreuisset diuinatem suam humanæ naturæ arctissima colligatione deuincire ille regnum omnium praepotens Dei filius, id vero diuersis omnino modis, non vnicce ea, qua factum est, ratione fieri posset, hanc potissimum, quae plurimis quasi humilitatis notis impressa esset, rationem delegerit. Reddissime quidem hoc alias admonetur atque præcipitur, ipsam in se spectatam ἐνσάρκωσιν, humanitatemque ipsam ad humiliationem Domini referri non posse, quandoquidem omnis illa, quam Paulus in illustri illo loco Phil. II. loquitur κένωσις atque ταπείνωσις ad diuinam naturam, quae nihil de maiestate remittere queat, minime pertineat. Itaque porro exinde conficitur, forma serui, quam Christus sumisse

dici-

dicitur, humanam naturam ipsam haud intelligi a sacro scriptore; id enim qui defendere auderet, huic alterutrum dicendum foret, vel de posuisse Dominum inferiorem naturam, nec *εαν θεωποι* esse amplius, vel etiam nunc, cum in caelis ad dextram patris confedit, in serui forma esse; quorum utrumque alienissimum est non modo a sacris oraculis, verum etiam ab omni specie veri. Id itaque in hac causa maneat, nulla nec a nobis nec a quoquam ratione conuellendum. Caeterum hoc facile nobis dabatur, veram humanitatem, quatenus illa animo rationis participe et huic copulato corpore absolutitur, potuisse diuinitati adiungi, etiamsi non *ex semina natus* (m) esset mundi Seruator. Quid enim, nonne ut quondam Adamus procreatus est, virili statura ac robore homo, et rationis ysu pollens, similiter humana illa natura, quae stabili velut connubio Dei filio iungenda erat, effici et creari poterat? Neque enim glebam hic nobis aliquis terrae obiecerit, ex qua ille hominum parens effectus tamen sit, qua facile in creando hominem carere potuisse eum, cuius iussu tota rerum natura dicto audiens est, per se lucet. Atque eiusmodi modus *ἐν τη γεωπηγίᾳ* fortasse nobis hominibus praeter altero illo placuisse Deoque dignior visus esset. Sed bene est, quod haec sui arbitrii esse voluit diuina sapientia, neque ex eorum sententia, quorum quidem causa agebatur, statui, quo pacto huic optime consuleretur. Sic est enim comparatum, ut saepe nos sub specie prudentiae magnus error ludat, virtus que ipsa suo fauens in transuersum abripiat libido, ratio autem cum saepe in aliis rebus, tum saepissime in diuinis hisce nos fugiat destinataque. Errimero diuina consilia ut non iis, qui prima specie tenus ferunt aut præcipitant potius iudicium, at euentu tamen ita approbantur, ut ab exquisitissima ratione profecta appareat. Huius rei est propinquum peti potest exemplum, hoc est, ex ea re, quam tractamus. Scilicet maximo bono nostro factum est, solatiumque amplissimum sufficit, quod non modo homo, verum et *filius hominis* (n) esse volunt erit.

(m) Gal. IV, 6.

(n) Cuius nominis emphasis exposuit Ven. Collega noster D. CHRIST. B. N. MICHAELIS in trattatione philologico-theologica de Christo filio hominis, ubi inter alia haec habentur §. XI. בֶן־הָמֹן homo generatim dicitur, in quo est natura humana; at בֶן־הָמֹן filius hominis, speciatim is, in quo natura humana per naturitatem ex alio propagata. — Primitus de quo Christus filium hominis se voca-

uit, hoc ipso prodidit se non solum hominem esse simpliciter; sed etiam hominem de homine, perinde ac titulus filii Dei eum non Deum solum, sed etiam Deum de Deo, hoc est, a patre suo genitum facit, quin eodem nomine significavit nobis, se de genere nostro, ac adeo revera fratrem nostrum esse; hominem, in quem humana natura — inde ab Adamo per Euam propriata est. Conferri cum his possunt quae pro illustrando eodem nomine ha-

erit Dominus, prouti toties se ipse totiesque tamquam illius nominis
iucunditate ductus appellitat. Conuenientius erat, ut ab uno omnes essent,
et is, qui sanctificat, et hi qui sanctificantur. (o) Sic ad nostram quam
proxime conditionem accessit naturae nostrarae reparator, dum eadem
qua nos in hanc vitam ingressus est ratione ac via, per omnia similis fa-
ctus fratribus suis (id enim nominis et ipse nobis dare dignatur et nos iam
audemus accipere) nisi quod a peccati labore immunis esse voluerit debu-
eritque, atque ut esset, de Spiritu sancto conceptus ex virgine natus
sit. Sic tandem et primae aeratis labem ac vitia expiare, ferendis illius
incommodis potuit, et simul iam tum illud significare, quod postmodum
luculenter verbis etiam declarauit, quanta esset in infantes, et si qui ad
horum iridoem accederent, indulgentia, quibus quippe solis diuinæ il-
lius ciuitatis ius adsignauit.

Alterum, quod meditationem nostram ad se rapit ac detinet, in humili
li illa positum est tenuitatem, quae exortum ipsius circumstetit et omni
quasi ex parte eluet. Si enim vel maxime vtero aliquamdiu contineri
ac deinceps non secus atque alii infantes in lucem edi voluit, ea tamen
erat dignitate, ut si vel splendidissimus apparatus, lautissimaque supplex,
qualis adesse in principum natuitate solet, ipsi praesto fuisset, longe ta-
men infra id, quod merebatur, subsedisset. At nihil huiusmodi appetet
in summi regis ortu, a quo orbis tamen salus pendebat. Non regalis pur-
pura nascentem ostrumque Tyrium excipit, non molissimarum vestium
ingenia, non quidquid alias in diuitum instrumento esse solet, conspi-
tur. Frustra tu, si recens natum quaeris Messiam, Herodis regiam su-
perbaque principum palatia, aut procerum Hierosolymitanorum aedes
obieris. Stabulum Bethleemiticum perreptandum est, cuius in ob-
scuro angulo praesepioque vili vix tandem diuino illi pueri locus con-
ceditur. Et quam tenuia hic omnia, quam exiguis earum rerum ap-
paratus, quae vel apud mediocris fortunae homines, cum nascuntur, cu-
rari atque in promtu esse solent. Quantus deinde eiusdem nati con-
temptus atque neglectus? Quam denique hic nihil eorum, quae in mun-
danorum regum ortu ad laetitiam significantiam fieri solent; non hic
festiuæ gratulantium acclamations, non tympanorum tubarumque
sonitus, non alia huius generis, quibus inter homines magni partus so-
lent

bent ANT. BYNAEVS de morte Iesu nulla refert B. WEISMANNVS in In-
stitutionibus Theol. p. 509.
(o) Ebr. II, II. Vid. G. A. FRANCKIE
Programma de rna eademque filii Dei
cum hominibus stirpe in Pentade Program-
matum ipsius p. 131. sqq.

lent cohonestari. Sed nimis haec initia vitae decebant eum, qui quo erat in nos fauore et clementia per omnem vitam pauperem egit, (p) vt veras nobis, quarum iacturam feceramus, repararet diutias.

Neque minus eandem conditionem indolemque et reliqua seruunt, quae ad infantilem eius aetatem pertinent, ex quibus strictius ac breuiter potiora quaedam tangemus.

Referimus igitur huc, quod cum longe is supra omnem legem positus esset ipse summus auctor legis ac vindicta, eidem tamen paruerit (q). sumque duxerit, religiosissime eam custodiendo *omne ius ac fas explere* (r). Huius rei iam in tenella aetate haec dedisse specimina legitur. Quod solenne ac legitimum in Ebraeorum pueris erat, vt si octauum viuendo attigissent diem, circumcidarentur, id in se quoque fieri ex voluntate patris sui passus est, nec se in eo eximium haberi voluit. Erat etiam illud ex lege, quod cum tempus illud, quo Israelitiae matres partu edito sacris arcebantur, iam praeteriisset, id est dies quadraginta essent exacti, asportatus in templum Iesus quoque sit. Factum autem ea occasione partim illud est, quod commune erat omnium puerarum, vt sacrificium persolueretur, partim quod peculiare erat in primogenitis redimendis. Nam et si nonnulli posterius hoc in dubitationem adduxerint, omissumque contendant; tamen minus graues eorum rationes videntur, quibus id persuasum nobis eunt. Quod nunc non disputamus. Quid porro de fuga illa dicamus, qua furori atque immanitati Herodis, falso metu ad insaniam redacti, subtraxit eum diuina prouidentia, et in peregrino solo per aliquod tempus abdidit? Itane hoc modo, tam ut videtur abiecto et humili consulendum esse ducebatur Deus filio suo? Itane cessabat hic illa angelorum in Christum pfectas, quam vel concentu suo nuper declarauerant, cessabat illa diuina herorum istorum caelestium vis, qua, ut hoc uno exemplo nunc vtatur, in tyranni illius nepote ad exitium ipsius vsus est eorum unus aliquis, (s) quem similiter huic tam crudelia molienti vitam extinguere potuisse, quis dubitet? Sed nimis et hic valuit, quod est apud Esaiam. (t) *Cogitationes meae non sunt cogitationes vestrae, et viae vestrae non sunt viae meae, inquit, Dominus; Quippe ut caeli sunt altiores terra: item altiores vestris meae viae, et meae cogitationes vestris.*

Sed tempus est, vt iis, quae paucis exposita sunt, tamquam ex adverso opponamus alia quaedam, quae illum quidem tam humilem Domini nativitatem illustrarunt tamen, claramque et memorabilem effecerunt. Pertinent huc nonnulla ipsam vel proxime vel satis longo intervallo praegressa, quae tamen ita se ad illam ex Dei consilio referabant, diuelli

(p) *VIII, o.* (q) *Gal. IV, 6.* (r) *Matth. III, 15.* (s) *Act. XII, 23.* (t) *Ez. LV, 8, 9.*

diuelli ut non possent; tum vero ea etiam, quae partum virginis, disparibus quidem temporis interuallis, neque tamen ita multo post conse-
quuta sunt. De utroque genere delibasse aliqua haud poenituerit.

Eam igitur natuitatem, quam vix quisquam eorum, in quorum ae-
tatem incidit, et ad quos proxime pertinebat, alicuius momenti puta-
bat, ipsam illam esse scimus, quam iam olim, cum quasi in cunabulis
adhuc mundus iaceret, ipse Deus praedixerat, cum primis hominibus,
quos admissa in se culpa anxius habebat, velut signum aliquod ad bene-
sperandum rebus suis tolleret, promisso qui caput circumscriptoris co-
lubri esset contritus; (v) Eundem postea Christi ex hominibus or-
tum post alios vates magnifica et dilucida oratione Esaias cecinit, is,
quem propter evidentem rerum ad Christum pertinentium demonstra-
tionem, euangelistam V. T. multi haud abs re post HIERONYMVM (x)
atque AVGUSTINVM (y) appellare consueuerunt. Sapientissimus
nempe vir et quod caput est, Deo plenus, vere in praeconio illo exsultat
triumphatque, quod instinctu Spiritus sancti de partu virginis Immanue-
lem enixurae ediderat. Bone Deus, quantum ille ex hoc fonte solatii
vel in difficillimis illis temporibus deriuat popularibusque suis propinat!
Quod qui integrum illorum capitum (VII-XII) contextum semel at-
que iterum legerit, melius animaduertet, quam oratione declarari potest,
praesertim si eundem, qui vatem animabat Spiritum, qui amore Christi
et reuerentia pectus impleat, circumspexerit.

Quodsi autem ad ipsum illud tempus mentem conuertimus, quo ex-
spectata illa Numinis proles caelo descendit, varia velut uno fasce com-
plecti possumus, quae partum τῆς Θεοτόκου vel proxime praecesserunt,
vel comitata sunt aut quasi e vestigio subsequuta, quaeque insignem il-
lum reddiderunt. Refer huc et diuersa angelorum diuersis apparenti-
tum praeconia, et sanctos motus multorum in animis per Spiritum Chri-
sti effectos, partim etiam, cum externis miraculis coniunctos. Sic praec-
eo caelestis Iosephum scrupulo curaque, quae ipsum versabat, liberat, no-
menque simul aureum et mera rerum pondera continens designat, quod
postinodum est Christo, cum praeputium poneret, inditum. (z) Sic Ma-
riae virginis, vti etiam praecursoris Messiae patri, quid futurum mox es-
set, Gabriel nunciat legatus diuinus. Idem, vt verisimile est, quum quod
de Christo praedixerat, iam factum esset, pastoribus in agro Bethle-
mitico ad gregem suum excubias agentibus rem post mundum conditum
maximam annunciat, Dominum proclamans, magno ipsorum (immo omni-
um) gaudio natum esse in Davidis oppido (aa) quod ipsius oraculum doxo-

B 1 logia

(v) Gen. III, 15:

(z) Matth. I, 20. coll. Luc. II, 21.

(x) Praef. in translat. Esiae et alibi.

(aa) Luc. II, 11.

(y) de cinit, Deil. XVIII, c. 29.

logia sua excipiunt, qui simul aderant angelorum chori, diuinum per aera melos diffundentes. (bb) Et quis sine animi commotione sanctos illos motus ab Euangeliorum scriptoribus et maxime ab Luca relatios legat? Quis carmina diuina Zachariae, et matris domini, aliorumque grauia pariter ac dulcia oracula, quae se cuncta ad Iesum nostrum referunt, audiat, expersque possit sanctioris affectus manere? Quid de pastoribus dicamus, Magisque ex ultima Orientis regione aduentantibus, versisque in cultum et religionem huius tenelli regis vel de Ioanne, quem non inepte aliquis (cc) natum quidem esse ait omnia (vatum) ultimum, sed tamen vaticinari ante coepisse, quam natus esset.

Vetat proposita breuitas his et similibus immorari, quorum explicatio incundam aliquin haberet vberemque tractationem.

Iaque praecidemus his, si modo eam, quam in scriptionis exordio posui-
mus, exhortationem etiam hic repetierimus. Neque enim nimis saepe mone-
zi nimisque diligenter et grauiter inculcari possunt, quae nunquam satis ala-
criter, nunquam satis ex rei dignitate fiunt. Et est praesertim ad haec diuina
nimis tardus plerorumque animus. Nam quod ad alias res attinet, quibus vel
per hos dies sacros multi solent animum, animum autem? immo sensus po-
tius ac genium oblectare, hic quidem monitorie nullo, nec calcaribus sed fra-
no opus est. Sed ubi ad ista venientia est, quae Deus oraculis suis pandit,
nimis ibi frigent homines, in quos cadit, si plerosque respicias, quod Mi-
chias quondam, natiuitatis Christi et ipse eximus praeco, in suam aeratem di-
xit (dd). Si quis de vino (air) aut temeto vaticinaretur, sane vero is huius po-
puli vates esset. Hunc, dicere vult vir sanctus, plaustrum lectamque habitu-
rum esse inter ciues, qui nimis ad voluptates flexibiles escent et quasi sequaces. At
at aliam vitam alios mores, mentem denique etiam Christi euangelium postu-
lat; quod ita comparatum est, ut sacrum simul horrorem incutere debeat his
qui contemnunt illud nec digne eo vtuntur. Neque enim, nisi osor scelerum
acerrimus, et peccati vindex Deus esset, in hunc orbem torque miseras dela-
plus esset eius filius, qui idem est ad iudicandos omnes suo tempore reditu-
rus. Utinam hoc cogitarent, quibus profana adhuc mens est; posset hoc enim
ipsis esse ad meliora consilia iter, et tamquam primus gradus ad felicitatem
immortalem ac diuinam.

Sed et ii, quibus deformatum ab illa natiua prauitate animum diuina gra-
tia refinxit, habent, quod euangeli Dei his diebus vitantur ad excutiendum,
qui facile vel optimis obrepit, torporem animi ac somnum. Hi se nunc ad
eorum exemplum componant, qui primi laetum de Christo nato nuncium ex-
cepuerunt. Horum fidem, simplicitatemque et candorem, horum insignem
in Christum pietatem imitentur. Non offendat eos Christi humilitas, sed in-
uiter potius ad ipsumque pertrahat, quam ipsam etiam in se referre, si ge-
nuini ipsius sectatores esse volent, debebunt, adfingentque animis hanc apo-
stoli hortationem (ee), Ne quid faciat per contentionem atque ambitionem,
sed per demissionem animi alius alium pluris faciat, quam se ipsum; quilibet
vestrum ita animatus sit ut Iesus Christus. P. P. in regia Fridericiana
pridie natalis Domini cl. lcc lll.

(bb) Ibid. v. 13 sqq.
(dd) Mich. II, II,

(cc) PETR. CUNAEVS de Republ. Ebraeor. I. III. c. 7.
(ee) Phil. II, 3 sqq.



VII 3.30 3236
39



• 18.9.87
ED B

gustanis illis comitiis interfuiimus, gratissimoque animo co-compositionem illam & pacem de rebus ad religionem atque continentibus, ibidem factam. Ut ergo pietas nostra erga deum solenni ratione declaretur, d.d. XXX. Septembris producam centes optimam spem de se praebentes, nobisque dilectissima erba huic tempori & loco accommodata facturos, hoc or-

VRITIVS AVGVSTVS de THVM-MEL, eques Misn.

culo primo catechismi maioris in libris ecclesiae nostrae symbolideum patrem creatorem & conseruatorem tam omnium rerum, n huius scholae nostrae canet ode Germ.

ROL. LVDOV. FRIDER. BETKENI-S, Schmidebergensis Saxo,

am euangelico-Lutheranam de deo filio I. C. Θεοντρόπω
o humani generis saluatore ex eiusdem catechismi articulo altero
bus hexametris eloquetur.


IRISTOPH. IOH. GOTTFR. HAY-LANNVS, Portensis Misn.

eficiis atque effectis dei spiritus sancti, in ecclesia & scholis, ex art.
o aget. Latine.

JOH. ADOLPH. GOTTLÖB TRAVT-EIN, Schoenwerd. Misn.

am belli Schmalcaldici enarrabit. Latine.

V. CHRI-



the scale towards document

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 1000